



18

8









1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
7a
8.



1612.

1. Annianus, Domitianus : De rescindenda venditione
2. Fomannus, Ortelphus : De possessione
3. Fomannus, Ortelphus : De legibus Fuliis publicis
communis judiciorum.
4. Fomannus, Ortelphus : De usucapionibus et
praescriptionibus
5. Melarius, Valentinus : De actionibus in rem
civilibus, utpote rei vindicatione, et confessoria
et negatoria actionibus.
6. Anselm, Walpurgus Wertherus : Ad subsequentes
theses : De legitima defensione . . . respondet.
7. Pingitgerus, Virgilius . Quod juris habeat bonae fidei
possessor in fructibus rebus rei alienae
7a. Fomannus, Ortelphus : De consuetudinibus ad l. 32. ff. d. ll.
8. Juvius, Johannes : De actionibus mixtis, finium
regulationem, frontine hereditariae, Communis Divisio

9. Theodorus, Petrus: Membranae jura subtili-
tissimuma succincta methodo exhibentes
10. Ungerus, Erasmus: De jurisdictione
17. Pinggitzerus, Virgilius: Centuria Theodorus ex
utillissima et frequentissima regalia materia
selectarum. 1613. 5
12. Inerius, Johannes: Quaestionum ad constitutionem
paupertatis religionis directarum, decuria.
1613. 6
1. Strumaeus, Dominicus: Quaestionum ex praecipuis
universi juris partibus, sacris et privatis capitibus;
ad jus civile, feudale, Canoniam... necnonque
historiam spectantibus delibatarum, semicenturia 7.
2. Strumaeus, Dominicus: De pignoratibus et hypothecis.
3. Fomanus, Ortheus: Centuria tres portionum
legalium.


1613,

4. Sacerius, Johannes: De obligationibus divinis et
individuis, eorumq. effecta et usu in jure civili,
canonico et feudali.

5. Theodorius, Petrus: Disceptatio ad difficultiores
pandectarum leges.

6. Theodorius, Petrus: De crimine falsi.

7. Ungebus, Erasmus: Triumpationum dodeces.



D
D
J.
J



1612,3 19.

THEMATUM LEGALIU
DE LEGIBUS
JULIIS PUBLICORUM
JUDICIORUM CENTURIA 3

Quam

CHRISTO REDEMTORE IVVANTE

*Decernente Amplissimo Jctorum or-
dine in florentissimâ Salanâ*

Presidente viro Amplissimo Clarissimo & Consultissimo Dn.

ORTOLPHO FOMANNO

J. U. DOCTORE, PROFESSORE PUBLI-
co, Juridicæ Facultatis Seniore, Consistorii Ecclesiastici,
nec non Dicasterii Provincialis & Scabinatus
Jenensis Adfessore dignissimo

*Pro supremis in utroque jure Doctoralibus insigni-
bus & privilegiis consequendis*

Publicæ disquisitioni expositam proponit

JULIUS MARCUS.

Ad diem 16. Maij.

J E N Æ.

Typis Hæredum Lippoldianorum, Anno 1612.

ILLUSTRISSIMO ET CEL-
SISSIMO PRINCIPI AC DOMINO:

Dn. JOANNI ERNESTO,
DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ,
BERGÆ,

LANDGRAVIO THURINGIÆ,
MARCHIONI MISNIÆ, COMITI DE HEN-
NENBERG, MARCA ET RAVENSBURG,
DYNASTÆ IN RAVENSTEIN,

RECTORI ACADEMIÆ SALANÆ
Magnificentissimo.

Domino suo clementissimo

Hæc sua disputationis inauguralis
themata

Humilimæ subjectionis, ac debitæ
gratitudinis symbola,

D. O. S.

Julius, Josiæ Marci Senioris
Jcti & Consil. Saxon. p. m.
Filius.



DE LEGIBUS JULIIS.

THESIS I.



*A*jus Julius Caesar, primus Romanorum Imperator, cum adoptivo Octavio Augusto, ex Sorore nepote, in imperio successore, varia dederunt jura, varias tulerunt leges, quae ab utrovis, quod vel lata vel interpolata, Juliae dictae sunt: & duplicis generis, privatorum videlicet vel publicorum judiciorum formam & normam continent, leguntur; illarum sparsim, harum passim in jure nostro extant vestigia.

2.

Omissis autem generalibus, de specialibus Julii legibus, iisque publicorum judiciorum, in nomine Numinis divini, pro tempore agemus: inter quas principem locum quia occupat Lex Julia, L. Jul. majestatis, quae, Reos laesa majestatis corrigit & corripit, tum quod series Digestorum moneat, tum etiam quod criminis atrocitas moveat, igitur de eâ in principio precipiendum.

3.

Et quantovis Ictis, ob majestatem duplicem, eamque vel divinam, vel humanam, duplicis generis crimen hoc effectum sit: tamen, quia de illo Lege hac Julia nihil cautum, & occultè ut plurimum committitur, cujus cognitio & coercitio non tam forum soli quam poli concernit; de hoc tantum, quod humana est majestatis, tractabimus.

4.

Dicitur autem sicut ab honore honestas, ita à majore majestas,

A 2

jestas,

jestas quasi major status, vel major potestas: & in genere, est virtutis, probitatis aut dignitatis summa excellentia: in specie vero, ut olim solius populi Rom. ita hodie, omni in principem regia lege translata potestate, est principis, hoc est, Imperatoris, decus, excellentia, amplitudo, aut suprema dignitas.

5.

Hanc ergo qui ledit minuitve, cum vel sine hostilitate, crimen hoc contrahit: id quod innumeris sub hoc titulo relatis fieri solet modis: unde vel generis nomen retinet, vel perduellio dicitur: Perduellionis autem, à perduello q. perfectè bello dicti, reus est, qui hostili animo directò adversus Rempubl. vel principem animatus & armatus est.

6.

Cujus species Conjuratio, à conjurando hoc est, simul jurando dicta, quæ plurimum vel cum privatis vel cum barbaris, adversus Rempubl. jurejurando hostilis facta pactio, vel dato suscepto ve juramento inita scelesti factio est. Aliàs Conspiratio quæ sine juramento fit, Confœderatio Congregatio appellatur: quæ Carol. IV. aurea bulla, adeò sunt prohibita, ut nec pretextu nuptiarum vel cognationum admittantur.

7.

Hic inter Baldum & Bartolum excellentissimos ll. interpp. ἀπονοδοῦ geritur bellum: An sciens eam nec revelans puniendus? Nos inter accusationem & simplicem denunciationem, distinctionis fœdere bellum hoc componendum arbitramur: Sacerdos vero, cui ex confessione de hoc crimine constat, an aperire illud possit, dubium! Distinguentes inter commissum & committendum, hoc cum pœnitentiâ vel sine eâ, diversimodè respondemus.

8.

Seditio, quasi seorsim itio, vel seductio, seu per antiphrasin sedatio dicta, etiam læsam spectat majestatem: & est perturbatio quietis publicæ, plebem contra jussionem suscipiendo, & adversus

versus publicam disciplinam defendendo: crimen adeo grave, ut jure civili Authores ejus, pro qualitate dignitatis, aut in crucem furcamve tollantur, aut bestiis objiciantur, aut capite puniantur: Affecta ad damnum & interesse teneantur: constitutionibus Caroli V. novissimis, pro delinquentis delictiq; conditione, criminis hujus rei, quandoque capitis amputatione plectantur, aut virgis cadantur, aut extra provinciam proscribantur.

9.

Quin regiam potestatem & majestatem adsumens, insignia principis usurpans, merum imperium exercens, perinde ut qui confessum ex vinculis emittit, condemnatum è familia manibus per vim eripit, privatos carceres habet, criminis hujus reus est.

10.

Unde debitor, qui pacto se ad carceres donec satisfecerit, obligavit, ibi absque criminis hujus reatu, à Creditore, detineri non potest: Quid vero si non in carcere, sed in vinculis vel custodia reservetur? Tantumdem est. An idem si à iudice incompetente? Non putamus.

11.

Adulterum tamen in adulterio deprehensum, & Debitorem fugientem, Furemque, capere quis potest, modo ne ultra XX. horas detineat: Filij vero, uxores, servi, correctionis, furiosi custodia gratia, non tantum ut à parentibus, maritis, dominis, consanguineis, capiantur, sed etiã detineantur, permissum reperitur.

12.

An vero immunis ab hoc crimine, qui amore captus, vel libidine deceptus, Amasiam in conclavi inclusam detinet, sunt qui querunt? cum non animo injuriandi, nec jurisdictionis exercendae causa faciat, nulla habita distinctione, an virgo vel meretrix sit, eum hujus l. pœnam incurrere negamus.

13.

Sed quantum requiratur temporis ut crimen illud contrahatur,

A 3

trahatur,

trahatur, & capitis pœna, qua illi jure civil. statuta irrogetur,
miris modis ambigitur? Et vel momentum sufficere concludi-
mus, præsertim si carceratio eo facta animo, ut inclusus diu
detineatur, & ab eo, quod via juris peti debebat, extorqueatur.

14.

Collegia item illicita qui colligunt & colligant; securita-
tem publicam, vel à principe, privato, licet hosti, concessam, in o-
dium & contemptum concedentis, qui frangunt, crimen hoc inci-
dunt, per eò, ut qui patriam prodit, secreta hostibus revelat, ob-
sides dimittit, & simile quid molitur, in hujus l. animadversio-
nem incurrit.

15.

Majestatis insuper rei censentur, murorum transgresso-
res, & violatores: Qua pœna autem adficiantur, non satis con-
venit Doctoribus? Nos quâ crimen hoc committunt, capitis pœ-
na plectendos putamus. Affectus, etiam sine effectu, quam-
vis aliàs extraordinariè punitur arbitrio judicis, in hoc tamen
crimine, eadem severitate voluntatem sceleris quâ effectum pu-
niri jura voluerunt, idque potiss. si ea ad conatum & actum
aliquem licet non extremum, externum tamen, perducta fuerit.

16.

Communiter ferè sed minus verè adserunt, quod Impera-
tor offendens Papam, committat læsæ majestatis crimen: Nos
vero Christiani & Pontificii sani, puris & putis Papicolarum
mendaciis, quibus se invicem ut mulus mulum scabunt, explo-
sis, sanctè negamus.

17.

Imperatoris tamen subditus, aliquid ex prædictis patran-
do, hoc crimen absque dubio incidit, secus vero non subditus im-
perio; Clericus omninò: Vasallus Dominum offendens neuti-
quam: Illud non refert, singularis persona fuerit an universitas,
aut exercitus: mares an fœmina, si quid in majestatem commise-
rint, majestatis rei habentur.

18. Unde

Unde, cum crimen hoc denudari publicè interfit, accusare illud possunt qui aliàs prohibentur, veluti famosi, mulieres, milites, servi, &c. Et licet Nobiles, Doctores, Milites, & aliàs in dignitate constituti, à tortura specialiter legibus excepti reperiantur, in læsa majestatis tamen crimine, utpote atrocissimo, privilegia eorū cessare illosq; tormentis subjici posse, constitutū.

Propriè a. committitur hoc crimen in solum Imperatorem, vel Regem Rom., Romanumq; imperium: in aliòs vero, etiam superiorem non recognoscentes, non nisi ad exemplum: Olim tantum in Rempubl. Rom.: Hodie etiam contra aliàs liberas civitates, pœna tamen cum moderamine.

Num contra Papam committatur super vacuum est quæ- rere, cum ille ab omni majestate vacuus. Contra Augustam quidem, si odio Imperat: læsa. Contra inferiores à principe, superiore recognoscentes, crimen illud patrari de stricto jure non abs re negamus, largè tamè de factò & consuetudine, sunt qui largiuntur.

In Electores imperii, & imperatoris consiliarios, privato non tamen odio læsos, crimen hoc committi adserimus; non secus ut contra confœderatum imperio, vel eius securitatem habentem, Legatum, Vicariūve vicem sustinentem, delinquendo contrahi concludimus. In Tyrannum tamen, se pro principe, sed falsò gerentem, non item.

Cum variis legibus crimen hoc coerceatur, varia eius pœnae constituuntur: Mortis quidem pœnam, apud Roman. variis modis exactam, atrocitas delicti dicitur. Sicut enim Regum Rom. tempore, velato capite suspensi de furca ad necem usque cadebantur: ita & hodie furcarum pœna adficiuntur, adeò ut licet alias nobiliores furcis non suspendendi: hujus criminis tamen rei, altioribus suspendantur.

23.

Leges XII. tabul. capitis amputatione, frequentius vivi sectione in partes eminentioribus locis suspendendas, vindicare consueverunt: id quod constit. Carolina crimin. confirmarunt; Imò etiam privatos armat interdum lex gladio, & reos eiusmodi à quocunque interfici jubet. Unde filius patrem, pater filium majestatis damnatum trucidare potuit. De jure Saxon. rota percutiebantur: Quod tamen in desuetudinem abiit.

24.

Fama insuper & familia jaçturam faciunt maximam: Ignominia enim & infamia notantur perpetua, insignia & nomina damnatâ memoriâ delentur & tolluntur: bona eorum fisco applicantur, ut perpetua egestate & infamia sordentibus, sit mors solatium vita supplicium.

25.

An autem statim commisso delicto ipso jure amittant dominium bonorum suorum controversitur? Nos administrationem quidem, non dominium amittere, sed sententiam expectandam æquius putamus. In dubium etiam à Doçtorib. vocari videmus, utrum eo casu, quo delinquens ante sententiam confessus vel convictus de crimine, contra successores eius admittenda bonorum confiscatio? Negantium verior videtur opinio.

26.

Pœna etiam hujus criminis derivatur in heredes filios, licet ante delictum natos, adgnatos, non tamen filias, nepotes nec pronepotes, quod etiam hodiè, ut acerbissimum, desuevit & deservit. An autem stante jure civ. communi, hereditates, quæ filiis rebellium auferuntur, fisco adplicentur, vel proximioribus ab intestato venientibus, admodum controversa est quæstio? Hos fisco preferri existimamus.

27.

Notabiles hïc & nobiles suboriuntur quæstiones: An de hoc crimine transigere vel pacisci liceat? Num idem per obitum principis,

Principis, qui de eo sciens conquestus non fuit, finiatur? Utrobique
negantibus, calamum & animum addimus.

28.

Lexa majestatis crimini, Lex Julia, adulterii crimen, ut- Lex Julia
pote quod ei maximè vicinum, & omnium atrocissimum; nam de adulte-
gravissimam ipsi marito & familia infert injuriam, ipsam etiã riis:
terram quasi piaculo, & anathemate polluit, toti societati huma-
nae pessimum & pestiferum, adeoq; ipsa natura detestabile est,
ordine apprimè apto subjungit.

29.

Et quoniam hac l. omnes omnino coitus illiciti coercen-
tur, singula concisè & concinnè perstringemus. Quamvis etiam
Stuprum & adulterium promiscuè & κατὰ γενῶν hac l. appellet,
multis tamen parasangis distant: nam stuprum vel in specie vel
in genere dictum legitur.

30.

Generaliter acceptum stuprum, quasi turpis stupor dictum,
est vitii illatio, seu honestatis defloratio, vel coitus legibus prohi-
bitus, omnis generis pudorem corrumpens. Et consistit aut in ge-
neris sui forma, proprièq; & in specie stuprum dicitur; aut extra
eam quid aliud, nomenq; speciale adsumit, ut Adulterium, Sodo-
mia, &c.

31.

Adulterium, quod à forma specifica, aditum ad alterius
thorum, ab effectu alterius partum dicimus: Est stuprum alte-
rius Matrifam. hoc est, uxori justæ vel injustæ, etiam sponsæ, illa-
tum: Et jure civ. tantum cum ligatâ, jure Canon. etiam cum so-
lutâ committitur.

32.

An autem cum conjugatâ, quæ vulgaris fuit? Magni
nominis & numeri Doctores sunt qui negant, nec minoris qui
adfirmant? Nos, cum Deciano distinguentes, respondemus com-
mitti, si, quæ vulgaris fuit, malis moribus & amoribus, postquã
nupsit, abstinuerit, & à sciente cognita fuerit: Secus si ad-

B

huc

huc meretricio more formam venalem habeat, & ab inscio comprimatur.

33.

Multum etiam controvertitur: An adulterii reus, eiusque pœnis puniendus, qui uno eodemque tempore bina sponsalia binasve nuptias contraxit? Quamvis jure civ. quidam simpliciter negandum, Constit: vero Carol. V. indistincte adfirmandum putent: Tamen nobis Dn. Wesenbecii distinctio, quam & Curia Saxon: observant, miris modis arridet:

34.

Sunt etiam qui hoc loco querunt: An ob sterilitatem uxoris, Maritus, eâ consentiente, alteri absque adulterio, quod de Abrahamo Patriarcha legitur, se conjungere possit? Nos, quo firmiter matrimoniorum conservetur fides, minorque libidinibus licentia concedatur, Divi Abrahami factum excusantes, negamus.

35.

Non ab adulterio insons, nec à pœna immunis est & Mulier, quæ Viro in militiam forte profecto, non satis de eius morte certiorata, alteri nubit, aut sui copiam facit, & Vir qui ei jungitur: peraque ut nec illa, quæ quo liberius peccaret, viro repudium misit.

36.

Accusare autem de crimine hoc L. Julia intra quinquennium cuivis licet, quamvis de L. Constantini, extranei prorsus videantur exclusi: Marito intra dies sexaginta utiles, à die divortii singulare jus praelationis, quod eo tacente, & mulieris Patri, conceditur: Iis vero elapsis, & hi, non nisi jure extraneorum, intra quatuor menses à die divortii admittuntur. Hodie tamen accusatio etiam constante matrimonio fieri potest, adeo ut sola quinquennii præscriptio, quæ tamen jure Saxon: hodierno abolita, tantum observetur.

37.

*Amittit tamen Maritus jus accusandi, cum vel ipse
etiam*

etiam adulter est, vel sciens cum adultera se conjungit, non si
facto divortio castitatem non servet: Sponsa an jure mariti
accusabitur? Nobis quidem affirmativa verior sed severior:
Negativa autem equior & in foro usitatio videtur.

38.

Uxor vigore juris Civilis, licet Maritum de adulterio
accusare nequeat, tamen ad separationem matrimonii, quod
nec antiquis Romanis licuit, ut dotem & donationem propter
nuptias lucretur, agere non prohibetur, Jure Canon: autem,
& Carol. V. constit: etiam criminaliter ad pœnam corpori infli-
gendam, accusare eum potest.

39.

Et quoniam hoc crimen probatu difficillimum, testes ad-
mittuntur socii & participes, mulieres, infames, singulares, ser-
vi & domestici: nec non in considerationem veniunt, clam &
occulte gesta, illudque quod communiter contingere solet, &
ex circumstantiis apparet, ut pernoctatio extra domum sine
caussa, depræhensio in loco suspecto, acta adulterii proximo &
preparatorio, concurrens fama, per tantum temporis, quo parere
potuit, Mariti absentia, & alia indicia: Ex solis tamen, iis et-
jam violentis & urgentibus præsumtionibus, condemnandum
neminem putamus.

40.

Inde osculum legitimam adulterii commissi præsumptio-
nem minimè præbere concludimus; quare ob id, quamvis turpe
& luxuriosum, dotem haud amittit mulier: Confessio autem
adulteri vel adultera, sive sponte sive per vim facta, an plenè
& sufficienter ad ordinariam imponendam pœnam probet?
Non est in confesso; sunt enim qui indistinctè adfirmant, sunt
qui negant: Nos præsumtivè tantum adulterium argui exinde,
modo nitatur aliis adminiculis & indicis, ut receptum, ita æ-
quum existimamus.

B 2

41. Sed

41.

Sed cum per adulterium, in omnem legem, naturalem, Civile, Canonicam & Divinam peccetur, gravissima etiam in hujus reos pœna constituuntur. Constit. Carol V. crim. Capitalis & ultimi supplicii, Iure divino & Lb. Mosaicis approbata, sancitur: Quæ in non culpa, sed dolo malo committentes, tantum ligatos, tam viros quam mulieres, easq; quibus Maritus ansam & causam non præbuit, exercetur: Id quod etiam Saxonicum jus observat.

42.

Quia autem hac capitis & gladii pœna, utrimque ligati tantum, secundum jus divinum, adficiuntur, circumspecti erit iudicis cernere & censere, An constitutio Electoralis, quæ absque omni discrimine gladium stringit, undiq; & ubiq; servanda & exequenda, an vero Dn. Wesenbecio monitore, si non tollenda, mollienda sit?

43.

Justinianus noster, in viris adulteris eam statuendam probavit, in fœminis prohibuit, quas virgis castas, in monasterium detrudi jussit, licentiâ Maritis datâ, eas intra biennium educendi, sibi que retinendi, quod si elapsum, perpetuò ibi morari coacta, tertiâ honorum parte, si liberos habeant, vel duabus, si parentes, quibus si careant, omnibus in Cœnobium translatis bonis: id quod Canones ambabus ulnis arripiunt.

44.

Num autem hac capitis & ultimi supplicii pœna, ex L. Julia originem traxerit, dura est Dd. lucta; dubia victoria? Nobis adfirmantium opinio optima videtur.

45.

Tanta in super severitate hoc crimen jura persequuntur, ut permittant Patri, adulterum domi suæ, generive, in filia deprehensum, unâ cum filiâ, in continenti, uno nimirum ictu, actu & impetu, impunè occidere: Marito etiam concedant, adulterum,

terum, non tamen quemlibet, in adulterio uxoris domi suae de-
prehensum, interimere.

46.

Quoniam hoc crimen, etiam jure divino matrimonium
dissolvit, separationem eius, quo ad thorum & mensam, donec
reconcilientur, jure Canon: probatam, recte cum Erasmo & Syn-
cerioris doctrina Evangelica Theologis, improbamus: permit-
tentes etiam parti innocenti liberè ad secundiora vota transire.
Num nocenti? Theologorum nos subjicientes judicio cum primis
precedentem & decidentem Magnif. Dn. Ordinariū sequimur.

48.

Spinosa insuper est questionis: An in viris adulterium
gravius quam in mulieribus? Licet contra viros maximi mo-
menti argumenta proferantur, & faeminarum gravissimum sit:
Tamen in utroque aeq. grave, sacrarum literarum edocti & ad-
ducti testimoniis, statuimus.

49.

Et haec de stupro adulterino: Istud autem quod in specie
seu propriè stuprum dicitur, duplicis est generis, voluntarium
vel violentum, hoc lege Julia de vi vindicatur, illud vero hac
de adulteriis lege coercetur; & fit vel contra naturam, vel na-
tura ordine concurrente: Quod posterius, quia in generis sui for-
ma consistit, nomen propriissime retinet, & definitur vitium,
honestae personae tum virgini tum cuique alii innuptae, per coitū
illicitum, illatum: Posterius, quia quid aliud extra generis for-
mam adsumit, nomen speciale habet, & Sodomia vocatur, estq.
omnis cum natura pugnans coitus.

50.

Committitur autem tripliciter, vel secum, vel cum ho-
minibus, vel cum brutis: Secum fit, quoties quis venerea secretò
secum exercet, quod Apostolus mollitiem, nostri masturbationem
nuncupant: Cum hominibus vero: bifariam contrahitur, aut
in eodem sexu; aut diverso, illo casu; cum venerem exercet ma-

B 3

sculus

scelus cum masculo, quem furorem, ignominiosam cupiditatem
Apostolus nominat, vel mulier cum muliere: hoc; in membro
non debito, vel modo non licito, nec solito. Cum brutis; quando a-
nimantia bruta fædo Veneris usu cognoscuntur.

51.

Cognatum etiam Sodomie videtur Veneris exercitium
cum Judæis, Sarracenis, Turcis: Sicut nec alienum ab eodem,
quod contrahit, qui mortuam impiè & impurè comprimit.

52.

Pæna a stupri concurrente natura commissi, Julia L. de
adult: est publicatio dimidiæ partis bonorum in honestioribus,
in vilioribus corporis coercitio cum relegatione: Iure Divino, ut
stuprata innupta honesta tamen, & ducatur & dotetur: Canoni-
co vero aut ducatur aut dotetur: Sed stuprum in muliere an pu-
ribile? In vidua quidem; in reliquis licet volentibus, ne dum coa-
ctis, de jure civ. nullo modo.

53.

Sed quid de virginis immatura, id est, quæ nondum attigit
annū XI. vel XII. stupratore dicemus? Et licet Bald. dicat se, talē
juvenē si haberet præ manibus, decapitare velle, Joan. Faber etiā
referat, quod de Gallia consuetudine suspendatur: Nos tamen
humiliores in metallum damnandos, honestiores in Insulam re-
legandos, aut in exilium mittendos, cum Icto Paulo, & Magnif.
Domino nostro Ordinario respondemus.

54.

Stupri contra naturam ordinem commissi, pro specierum
diversitate, pæna diverse sunt: Eius quod secum & secreto fit, si
judici innotuerit, pæna est arbitraria vel exilium: Quod cum
hominibus, eiusdemq; sexus, mortis: diversi; ignis est: quæ ea-
dem iis infligitur, qui cum animantibus brutis rem habuerunt.

55.

Hic curiosuli quasitant, cur pecora ad hoc flagitium adhi-
bita, plectantur, quæ contra legem nec peccarunt, nec peccare po-
tuerunt, quippe quod juris & iniuriæ experta? Id non injustè sed
piis & probis fieri rationibus probamus.

56. Qui

56.

Qui verò cum Turcis Sarracenis & Judæis se conjunxerunt, pœna extraordinaria judicis arbitrio, citra mortem adficiendi: cognoscentes mortuâ viliores, ultimo supplicio puniuntur, honestiores, in insulam deportantur, aut relegantur, vel in metallum damnantur.

57.

Hoc loco notatu necessarium, tam stupro quàm adulterio commune esse, ut sit vel voluntarium vel non, incestuosum vel minus, cum lenocinio vel sine eo: quare etiam pœna pro qualitate admissi vel durior vel mitior infligenda venit:

58.

Incestus a. quasi minimè castus, ab in & cœstus, hoc est, sine cœsto, qui Zona erat, quo nova nupta præcingebatur, dictus, est veneris cum consanguineis vel adfinibus usus: contrahitur à personis libus & jure prohibitis, per quamlibet carnis commixtionem.

59.

Cum Monachis, Nonnis Vestalibus, ac ordine Ecclesiastico insignitis, & iis qui nobis cognatione spiritali & fidei Sacramento in Baptismo conjuncti finguntur, jure Can: etiam cõmittetur incestus, id quod moribus Christianis justè & rectè in desuetudinem abiit.

60.

Sed quæ incestus sit pœna, inter interpp. juris dissensionis plena est questio? Si quidem inter adscendentes & descendentes committatur, gravius, si inter transversos ordinis propinquos, exercetur, levius punitur.

61.

Liberis ex incestuoso coitu natis, de juris civilis rigore alimenta quidem denegantur, quod tamen ex ratione naturali jure Can: non impiè corrigitur, hodiernog, fori usu observatur.

62.

Lenociniũ, ab alliciendo vel leniendo dictum, est scelus, quo quis ex publicis scortationib. adulteriis, de florationib., fornicationibus, sibi quæstũ facit. Quod cõmittunt, nõ tantũ qui personas
ad

ad actum venereum pellicent & alunt; verum etiam omnes, qui cum quaestus lucrive causa, consiliis & auxiliis fovent & promovent: & differt à meritorio peccato, quod hoc proprio, illud alieno committatur corpore.

63.

Lenones vel Lena, si mulierem ad hunc actum precibus aut pretio perduxerint, illumq; aliquoties exercuerint, atq; exinde lucrum fecerint, ultimo supplicio (quod jure Saxon: in lenonibus non lenis statutum) adficiabantur, aut mala crucis suspendio pledebantur: Sed cum severior hac poena, mitigatur hodie pro modo admissi, ut vel exilio, flagellationibus, aut similiter coerceantur.

64.

Fornicationis crimen; sic dictum, quia Roma sub fornibus meretrices prostare consueverant, committitur, quando quis cum mulieribus innuptis, iisq; meretricibus, rem veneream exercet: Cui quamvis majoris mali evitandi gratia, jura civilia poenam statuunt nullam, ut nonnullis etiam in locis Lupanaria publica tolerentur: Hodie tamen, cum per illud in jus divinum, Canon: & bonos mores peccetur, arbitraria, vel carceris, vel pecunie poena, decernitur, & turpia spurcaque illa aedificia merito tolluntur.

65.

Qua vero meretrix jure dicatur, variant Dd: Nos illam meretricem dicimus, qua non duos saltem, sed plures, quaestus gratia admisit, in prostibulo reperta, meretricioq; habitu incedit: Unde etiam is, qui in loco & habitu meretricio Virginem deprahensam compressit, criminaliter non est puniendus: An a sicut mulieres ista propudiosa infames, & Scortatores etiam habentur? Negare quidem non erubescit Juda in sacris: nos tamen hosce apud honestos & graves viros, fama jaeturam pati, dicere non veremur.

66.

Lex Julia
de vi:

Quoniam magnam cum precedentibus adfinitatem habet L. Julia de vi, quippe cum & publici iudicii, & de stupro violento, raptuq; agat, nec non ordine Digestorum sequatur, de ea dicturi, non extra oleas vagabimur.

67. Vim

Vim a. sic commodè definire possumus, quod sit maioris rei impetus, cui resisti non potest, voluntatem cogens invitam; quæ aliàs & quidem in materiâ possessionum civili, à Dd. vel in expulsiuam, Ablatiuam, compulsiuam, turbatiuam, inquietatiuam, vel in maiorem & minorem dividitur.

In nostra criminum materiâ, saltem in publicam & privatam dissepiscitur: Inter quas hæc potior constituitur differentia, quod illa cum armis, quippe quorum usus tantum publicus, & privatis interdictus; hæc sine armis, committatur: licet non negarim, etiam ratione personæ à qua & in quam illata, loci item, nec non concursus, non tamen animi inferentis, differentiam constitui posse.

Armorum autem, ab armo siue ὄμω humero, seu arcendo dictorum, appellatio, cum nō utiq; scuta, gladios, galeas significet, sed fustes & lapides; in prohibitionem eorum, non solum venient ea, quib. in bello utimur, verum etiam si quæ alia tela, ad nocendum facta & arrepta, extra belli causam ad ledendum homines, usurpentur.

Quare tenetur L. Julia de vi publica, qui arma, tela domi suæ agrove in villa, præter usum venationis, itineris vel navigationis, coegerit, qui turbæ seditionisve faciendæ consilium inierit, servos aut liberos homines in armis habuerit, telis aut armis, convocata seditione, villas expugnarit, bona vi rapuerit, incendium fecerit, ex eo bona abstulerit, vel Dominum, res eius servare cum gladio aut telo prohibuerit.

In eadem causâ etiam est, qui hominibus armatis possessorem domo agrove suo aut navi suæ dejecerit, utive id staret homines commoda verit, dolo malo, quò minus tuta judicia exercerentur,

ventur, aut iudices ut oportet iudicent, fecerit, potestatem & imperium, aliter quam iustum est, exercuerit, alia ve similia cum armis & auxiliariis patrauerit.

72.

Præterea etiã huius l, animadversionem incurrit, qui puerum vel vacantem fœminam, nuptamve vi stuprauerit vel rapuerit: hoc crimen Raptus, illud stuprum violentum appellatur: Quod committitur, cum quis puerum, virginem, viduam honeste viventem, nolentem volentem, per vim carnaliter cognoverit: quæ violentia, ut persona invita, non adibus forte aut cubiculo, illata sit requiritur, & quidem per vim compulsivam, si metu coacta; ablativam vero, si invita comprimitur.

73.

Punitur hoc crimen L. Iulia, deportatione: Olim aqua & ignis interdictione: Hodie autem stuprum violentum mortis supplicium præstitutum habet; non tantum ex Constit. Carol: Iure Saxon: verum etiã Civili Iustiniano. Fœmina vero per vim stuprata, neque pudicitiam amittit, neque infamis, nec accusari, multò minus damnari potest: Per vim etiã osculantis pœna extraordinaria: An a. qui adulterium vel stuprum violentum commisit, omisso adulterio, vel stupro, de vi tantum accusari poterit? Omnino negamus: Sicut adserimus prohibitum de eo transigere: Et putamus vulnerantem cum armis, magis ob vulnerationem, quam armorum gestationem puniendum.

74.

Raptus, à rapiendo, hoc est, per vim auferendo, dictus, est violenta vel cum malis artibus asportatio, sive abductio mulieris honestæ & invitæ, de loco ad locum, animo eam carnaliter cognoscendi. Violenta autem hic non censetur ea tantum quæ armis fit, sed quæ etiã iusto armorum metu facta, perinde ut quæ malis artibus, dolosis precibus, aut prætiis imperantibus, impetrata; quo tamen casu, repugnante licet communi opinione, pœnam raptus cessare Dn. Deciano concedimus: An
autem

autem sicut in raptu, ita in venereo actu violentia requiritur?
non requiri, sed praesumi, verius.

75.

Quoniam honesta est raptus, meretricis nullus erit: multo minus poena l. unic. C. de rapt. virg. locum habebit, quam vis extraordinaria usu recepta sit. Quid si meretrix rapta, Marito se copulavit? cum distinctione raptam censemus: Sponsa tamen propria, vi abducta, rapta videtur de jure Civili omnino, de jure Canon: secus.

76.

Invita quia rapitur, rapta non videtur quae amore viri capta & suis affectibus decepta, ut abduceretur sollicitavit: Ratione tamen Parentum vel quorum in potestate fuit Raptus est, licet mitiori poena puniendus. An à Marito in uxorem committitur? Nunquam: Num poena d. l. unic: locus, si Mulier virum vel mulicrem, masculus masculum rapiat? Negativa ad stipulamur.

77.

Cum de loco ad locum abducatur necesse sit, quae in loco, unde rapienda, per vim stuprata fuit, rapta non est: Secus vero est rapta, licet non cognita, si modo animus cognoscendi fuerit destinatus. Unde alia quam libidinis de causa puellam rapiens, hac l. non tenebitur.

78.

Poena raptoris, de jure divino est, ut rapiens raptam ducat, eiusque Parentibus 50. siclos numeret. Canon: alia Concilio Aurelianensi, alia Chalcedonensi, non prohibendo matrimonium pro personarum conditione, statuitur. Jure Civili praeter honorum & bonorum jactura, matrimonique interdictione, pro criminis qualitate, mortis est: Quae etiam Carol. V. confirmat: crim: confirmatur.

79.

Quia raptoris bona jure Civ: Iustiniano, rapta applicanda, Num de jure Canon: etiam, quo matrimonium inter raptorem

C 2

rem

rem & raptam permissum, procedat ambigitur? Nos negantium
opinionem calculum adjicimus: Non una eadem Dd. est sententia,
An de raptu transigere liceat? Si ex L. Julia de adult: accusatio
instituta, negamus, si vero ex L. Julia de vi, putamus.

8a.

Hujus criminis sicut Authores, ita adjuutores, capite &
amissione bonorum plectuntur: ceteri conscij, ministri, re-
ceptatores, & opem ferentes, non tamen in ipso raptu, capite
non bonis privantur. Liguati autem plumbi in os Nutricis
persuadentis virgini ut permetteret se rari, injiciendi poena,
barbara & desperationis plena, per Constantium Constantini Fi-
lium & Justinianum sublata.

81.

L. Julia de
vi privata: Privata vis sine armis illata, committitur, si quis ex nau-
fragio dolo malo aliquid rapuerit, nautis vim intulerit, convo-
catis hominibus, quo quis verberetur, pulsetur, in jus non produ-
catur, vim fecerit: ex agro suo aliquem dejecerit, propria aucto-
ritate rem debitoris sui intraverit, pro credito pignus vel solu-
tionem extorserit, vel simile quid violentum sine armis com-
miserit, &c.

82.

Gravissima in quam vis vim inferentes poena statuuntur;
Nam committentes publicam, Iure Civ: pro qualitate delicti, ca-
pitis amputatione, aqua & igni interdictione; hodie deportatio-
ne, bonorum confiscatione, puniuntur: Privatam vero; priva-
tione honorum omnium & publicatione tertiae bonorum partis,
adeoque ipsius crediti (quod de jure Saxon: secus est) cujus nomi-
ne debitoris bona occuparunt, plectuntur: Judex quoque de hoc
crimine iustam punitionem non sumens, in famia notatur, officio
privatur, & centum libris auri mulctatur.

83.

Praxis tamen & usus quotidianus obtinuit, ut pro vi,
tum publica tum privata, extraordinaria & arbitraria, inter-
dum

dum etiam pacis rupta statuatur pœna. Caterum, vim omnem in dubio privatam haberi, publicam ad privatam non nunquã referri, ut de eo, quod in L. Jul: de vi publ. propriè cadit, mitiore Iudicio, ex L. Jul: de vi priv.: non tamen econtra, agere possimus, hîc monendum duximus.

84.

Alia cum præterea leges Julia supersint, ea etiam ut exponantur instituti nostri ratio exposcit. Quoniam autem istis sancitur, ne in Magistratu tam adsequendo, quam adsecuto delinquatur; facile veniam impetraturos speramus, si illam, quæ Ambitus crimen in consequendo magistratu patratum, violentiaque proximum coercet, Iustinianum secuti, reliquis ante posuerimus.

85.

Crimen ambitus ab ambiendo, hoc est, circum eundo, quod Candidatis honorem petentibus, in more positum, committitur ab iis, qui petitori Magistratum, vel Sacerdotium in provincia, turbam suffragiorum causa conduxerunt, seruos advocarunt, aliamve quam multitudinem sibi conciliarunt: Item qui ante rationes administrationis suæ redditas, eadem repetunt, & per literas sacras irrepunt, officia, novum vectigal instituant; Reive vel Accusatores, iudicis domum ad aucupandam gratiam, ingrediuntur.

De L. Julia
ambitus.

86.

Cum autem in urbe ad curam Principis, non favorem populi, Magistratum creatio pertineat, atque in illa l. hac de ambitu cesset, dubitari poterit: An qui dederit pecuniam Consiliariis Principis, incurrat pœnam huius legis? Quamvis sint qui negent; Nos tamen eum lege Iustiniani puniendum putamus. Papa vero & Imperator, si pecuniam erogent vel largiantur, quò certius & citius ad summum Sacerdotium vel imperium eligantur & adsumantur, nec facile ab hoc crimine excusari poterunt.

C 3

87. Qua-

87.

Questionis etiam est honesta: An liceat Magistratum simpliciter nec adfectatè petere: Nos ab affirmantium stamus partibus; Inde ambitum in licitum & illicitum dispendentes, hoc lege hac prohibito, illo non item.

88.

Criminis hujus pœna, L. Julia deportatio, Scto centum aureorum cum infamia, constituta est: An autem reos ipso jure an vero judicis sententia sequatur infamia quaritur? posterius verius. Damnatus tamen hoc crimine, si alium convicerit de eodem, recepta etiam pecunia depensa, in integrum, non sine evidenti ratione, restituitur.

89.

L. Julia pecularis.

Legibus Juliis insuper animadvertitur in crimina, ad-
epto magistratu, pecunias subditorum illicitè accipiendo, vel usurpando, publicasq; intervertendo, ijsve abutendo, commissa: ut Peculatus: quod à Labeone definitur, furtum pecuniæ tum publicæ, vel fiscalis, tum sacræ vel religiosæ, factum ab eo cuius periculo non fuit: Hoc sacrilegium appellatur, illud nomen suum retinet & variis contrahitur modis: Quamvis autem hæc L. Julia peculat: ad solam Rempubl. Roman: & Imperatorem propriè pertineat, Constitutionibus tamen Principum Div: Trajani & Hadriani, ad alias etiam Civitates extensum, Dd. recte tradunt,

90.

Et non tantum pecunia publica, sed & privata Peculatus facit crimen, ut si quis, quod fisco debetur, simulans se fisci creditorem, acceperit, quamvis privatam pecuniam abstulerit, muros publicos perforaverit, ut inde aliquid auferret, vel prædam ab hostibus captam surripuerit; mandans etiam vel causam dans, ut aliquid contra l. hanc fiat, eadem tenetur.

Pœna

91.

Pœna hujus criminis primùm, litis æstimatio in quadruplum, tum deportatio, quandoque etiam ultimi supplicii irrogatio. Judices enim, qui in ipsâ administratione surripuerunt pecuniam publicam, capitali animadversione puniuntur, sicuti qui eis ministerium exhibuerunt, vel scientes subtracta susceperunt, aliàs qui furantibus sinum præbet, perinde ac si furti condemnatus manifesti habetur, & famosus efficitur.

92.

Sacrilegium L. Julia ex qualitate rei, non loci ubi committitur, æstimatur: Unde furtum rei sacra, ex loco sacro vel non, ablata, sacrilegium dicitur: Rei autem non sacra, licet ex sacro auferatur loco, non sacrilegium, sed furtum est: Iure Canon: autem, non tantum sacrilegium est, si sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, verum etiam non sacrum de sacro surripitur: Quod etiam Imp. Carol. V. constituit.

L. Julia de sacrilegis.

93.

Pœna eius, jure Divino, lapidatio & ignis; Canonico: ubi miranda immodica laxitas, post trinam admonitionem, excommunicatio: L. Julia, capitis est: quæ tamen extra ordinem pro qualitate personæ, proq; conditione rei, temporis, ætatis, sexus, mitigari vel exasperari potest. Cui convenit etiam Constit. Carol. V. crim. De jure Saxon. Sacrilegi, grassatarum instar, rota concutiuntur.

94.

Crimini peculatus finitimum est, eademq; L. Julia puni- L. Julia de
tur, crimen residuorum; quod est pecuniæ publicæ retentio, quæ in residuis,
publicum non relata, apud aliquem ex administratione resedit. Retinere a. quis pecuniam publicam intelligitur, non tantum, cum non reddit, sed etiam, cum in alium, quam quem oportet, usum convertit & consumit: quod maximè est Collectorum Vectigaliũ, Questorum, Receptorũ, Thesaurariorum & Curatorũ Reipubl.

95. Hoc



Hoc crimine damnatus ex *L. Julia de residuis*, amplius tertiâ parte quam debet punitur: hodie, instar peculatoris, capitâ pœnâ adficitur: In hisce Saxoniae terris Quæstor aliusve administrator, si reliquatur minus 50. florenos, carcere, vel ad tempus relegatione, si amplius, fustigatione, vel perpetua relegatione; si vero 100. aut ultra, laqueo constringitur.

*L. Julia re-
pecunda-
rum,*

Crimen repetundarum à repetendo pecunias extortas dicitur, finito magistratu quod accusatur, non abs re reliquis postponitur. Est autem pecunia, quam quis, dum in Magistratu, potestate, curatione, legatione, aliove publico esset officio, munere, ministeriove, accepit, in id quo magis aut minus ex officio faceret, repetitio.

Quid si non pecunia, sed spe saltém commodi, ad ferendam sententiam eamque justam invitetur Iudex, an reus hujus criminis? Et reus asseritur, adeò ut contra mutuantes iudici pecuniam Barattaria (qua barbara voce vocant Iustitie cum pecuniâ commutationem) presumatur: Diversa etiam & adversa *Dd.* opinio: Vtrum Iudex pignus vel cautionem à parte, ut indemnis servetur, recipiens, incurrat hoc crimen? Cum Deciano decidimus eum non teneri hac *l.* si cautionem saltem recipiat, quo minus eludatur: secus vero si eius intuitu aliter judicet: Privati etiam interdum hujus criminis rei fiunt, si videlicet ob negotium faciendum, accusandum, denunciandum, testimonium dicendum vel tacendum, pecuniam acceperunt, adeò ut non solum accipientes, sed etiam dantes, hac *l.* teneantur.

Pœna hujus criminis de jure divino talionis est, ut qua mensura Iudices justitiam metiantur, eadem & eis remetiatur. Canonico: hi iudices, fama sua prodigi, persecutores honoris proprii, in gravamen partis judicantes, ab executione officii per an-

num

num suspenduntur, & ad aestimationem litis parti laesa. salvis ta-
men aliis, Constitutionum aliarum, pœnis condemnantur. Legib.
XII. tabb. indifferenter, & praesertim ii, qui ob sententiam dicē-
dam pecuniam acceperunt, capite puniebantur. Iulia vero l. ex-
traordinem & plerumq; vel exilio, vel, pro admissi gravitate, in
Insulam deportatione, vel capite plectuntur: Sed jure Authen:
novissimo, damnatus, si pecuniaria causa; triplum pro dato, &
duplum pro promisso, non laeso, sed fisco, si criminaliter agatur,
applicandum, solvere cogitur: Si vero Criminalis; confiscatis o-
mnibus bonis, in exilium mittitur, hoc est, deportatur vel ver-
beribus caditur.

99.

L. Julia de
annonae.

Restat L. Julia de annonae, quae scripta est in flagellata &
de fraudata annonae reos; quod crimen committitur, si quis an-
nonam cariorem fecerit, coemendo res usui & esui: cottidiano ac-
commodatas, easq; ad raritatem & caritatem usq; reservando,
vel deterioratas vendendo, vel monopolia exercendo, aliisve
contra eam faciendo modis.

100.

Cuius criminis rei, vel extraordinem puniuntur, pro qua-
litate delicti, vel relegantur, vel in opus publicum damnantur:
Qui navem nautamve retinent, aut dolo malo faci-
unt quò magis detineantur, pœna 20. aureorum mulctan-
tur. Monopola Imp. Constitutione deportantur. Hic pro co-
lophone dubium movetur. An Magistratui, liceat aliquem cogere,
merces annonarias ut justo vendat precio? Affirmativa, ex-
plosis Dardanariis, applaudimus; & sic tractationem

Legum Juliarum, bono DEO
claudimus.

SIT SEMPER NOSTRO GLORIA
LAVSQUE DEO.

D

AD



AD CLARISS:

Dn. JULIUM MARCUM,
J. V. Doctorandum.

Fili Marce, refers quia rectè nomen
Full,

Hinc tibi præ reliquis Julia lex placuit.
Illa Magistratus, thalamiq; tuetur honorem,
Vim vetat, injustâ capta manu repetit.
Esto procul, què dirus amor trahit ambitionis,
Namq; tibi gratis non licet esse malo.
Contemtrix superum gens ex lex vivere noli,
Julia lex mores ne notet ulla tuos.

Johannes Suevius D. Prof. Publ.
& Curiaë Provincialis, nec non Scabi-
natus Jenensis, Adessor, & pro tempo-
re Facultat. Jurid. Decanus.

Ttandem dubiam vicit sententia men-
tem,

Dum petis ingenio premia digna tuo.

Perge

*Perge nihil metuas! nec tela scholastica cures!
Qua facili pugnâ ritè retorsa cadent.
Perge; Themis dudû sacros porrexit honores,
Purgabunt parvam commoda magna mo-
ram.*

*Quod superest reliquis addo mea vota, pre-
corq;
Fata sinant aura prosperiore frui.*

Veteris moris & singularis amoris
testandi gratia fecit

*Wolfgang Wexther Wülpfordt/
J. V. D. & Curia Provincialis Ducum
Saxoniae Advocatus.*

ULI, qui legum laqueos, qui vincula solvis,
Inque foro causas irreprehensus agis,
Præmia quæ tanti capies ô MARCE laboris?
Scilicet illa tuus quæ tulit ante Parens.
Puniceam plectens capiti Themis alma corollam
Doctor ait gemini tu mihi juris eris.
Excipit hanc blandi Dea mater amoris, & inquit
Sit tibi cura fori, sit mihi cura tori.

*Wolfgangus Heider M.
& Prof. Publ.*

D 2.

PARO.

PARODIA HORATIANA

ex lib. Epod. Oda IV.

ET viti & ulmo quanta Naturâ obtigit
tecum mihi concordia est
JULI, anxii replete legibus caput
& corda juris lumine,
licet superbus ambulet Mysus foro.

NON LINGUA DAT PRUDENTIAM.

Vidèsne claram metiente te viam
posito in cathedrâ codice
ut ora vertat huc & huc discentium
liberrima acclamatio?
En ductus è domo pio cum júbilo
Doctòris ad fastigium
doces juventam mille legum pondera,
& quæstiones explicas
sedilibusq; magnus in primis virùm
Frontone contempto sedes.
Quis ò recuset angustias tot graves
animo inquieto volvere
contra Melampus, atque servilem manum,
Si tanta prostent præmia?

M. Thomas Sagittarius
Professor Publicus.


F I N I S.




X2617645

VDM







1612,3

19.

THEMATUM LEGALIUM
DE LEGIBUS
JULIIS PUBLICORUM
JUDICIORUM CENTURIA

Quam
CHRISTO REDEMTORE IUVANTE
*Decernente Amplissimo Jctorum or-
dine in florentissimâ Salanâ*

Presidente viro Amplissimo Clarissimo & Consultissimo Dn.
ORTOLPHO FOMANNO
J. U. DOCTORE, PROFESSORE PUBLI-
co, Juridicæ Facultatis Seniore, Consistorii Ecclesiastici,
nec non Dicasterii Provincialis & Scabinatus
Jenensis Adsessore dignissimo

*Pro supremis in utroque jure Doctoralibus insigni-
bus & privilegiis consequendis*
Publicæ disquisitioni expositam proponit
JULIUS MARCUS.
Ad diem 16. Maij.

J E N Æ.
Typis Hæredum Lippoldianorum, Anno 1612.